



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Archiepiscopo, Decano, & Præposito Lundensibus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20020

sedem apostolicam appellarunt. Nolentes igitur eorundem fratrum differri iustitiam, per iterata vobis scripta districtè præcipiendo mandamus quatenus in prædicto negotio secundum tenorem præcedentium litterarum omni occasione & appellatione cessantibus procedatis, memoratum Episcopum ad prædictæ compositionis observantiam per suspensionem pontificalis officij & etiam, si opus fuerit, excommunicationis sententiam compellentes. Tu denique, fili Abbas, super te ipso &c. Datum Signiæ v. Idus Octobris, pontificatus nostri anno sextodecimo.

*ARCHIEPISCOPO, DECANO,
& Præposito Lundensibus.*

Cum eo faciente qui venit salvum facere quod perierat & Ecclesiam suam nova semper prole fecundat, Sackela & Hugenhusen de novo receperint verbum Dei, & per illius misericordiam qui veste nostræ humilitatis indutus, dignatus est peregrinari pro subditis, ut eos supernæ patriæ cives & æternæ beatitudinis faceret coheredes, Dei evangelium quasi semen cadens in terram bonam per partes illas sit longè latèque diffusum, ne huic novellæ plantationi diligentis agricolæ cura desit, nostro fuit apostolarum supplicatum ut & locis per episcopalis dignitatis insignia & populis per circumspecti Prælati sollicitudinem faceremus sine moræ dispendio provideri. Ne igitur gregi dominico desit cura pastoris, cum adhuc lupus rapax circummeat quærens quem devoret, paratus eò fortius ad rapinam quò recentius perdidit quod diù tenuerat occupatum, discretionem vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus inquisita & cognita veritate, si qualitas locorum poposcerit, ac facultates sufficient, & expedire videritis, episcopatum auctoritate nostra constituatis ibidem, & vocatis qui fuerint evocandi, per electionem canonicam faciatis loco & populo provideri de persona idonea in pastorem, & jura quæ debent ad Episcopum & Ecclesiam pertinere assignari eis integrè ac quietè. Quòd si non omnes &c. tu frater Archiepiscopo &c. Tu denique, frater Archiepiscopo, super te ipso &c. Datum Signiæ v. Idus Octobris, pontificatus nostri anno sextodecimo.



*ABBATI, PRIORI, ET
Cellerario de Monte sancti Nicolai
Rigenfis diocesis.*

Cum pastores Ecclesiæ oves per devium infidelitatis errantes ad ovile dominicum, non solum prædicationis officio, sed etiam beneficiorum gratia, debeant invitare, grave gerimus & indignum quòd, sicut accepimus, venerabilis frater noster Rigenfis Episcopus quosdam neophytos, vix adhuc plenè in sanctæ fidei eruditione plantatos, in injuriam fratrum militia Christi exhereditat in Riga, & aliàs indebita molestatione fatigat. Unde contingit quòd respicientes retro qui ad aratrum jam manum posuerant, Christi jugum abiciunt, relabentes in pristina gentilitatis errorem, cum in jam Christianos ea præsumat memoratus Episcopus quæ in gentiles nullatenus attentaret. Volentes igitur prædictos neophytos debita quiete gaudere, discretionem vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus supradictum Episcopum ab ipsorum injuriis distinctione qua convenit sublato appellationis obstaculo compefcatis. Quòd si non omnes &c. duo vestrum &c. Tu denique, fili Abbas, super te ipso &c. Datum Signiæ v. Idus Octobris, pontificatus nostri anno sexto-
decimo.

*ABBATI DE GOTHLANDA,
& de Northlanda & de Sutherlanda
Præpositis Lundensibus diocesis.*

Quoniam nimis dispendiosum est & grave dilectis filiis fratribus militia Christi de Livonia, cum sint in remotis partibus constituti, pro singulis querelis apostolicam sedem adire, cum frequenter à multis tam clericis quàm laicis gravibus sint injuriis lacerati, ad supplicationem eorum super hoc eis duximus providendum. Quocirca discretionem vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatenus cum à dictis fratribus fueritis requisiti, malefactores eorum in Bremensi provincia constitutos, ut eis ablata restituant, & de damnis & injuriis irrogatis satisfaciant competenter, vel in aliquos compromittant qui appellatione remota iustitia mediante procedant, per censuram ecclesiasticam sublato appellationis diffugio compellatis. Quia verò venerabilis frater noster Rigenfis Episcopus eos, sicut accepimus, in multis opprimere consuevit, volumus ut cum vobis confiterit memora-
tum Episcopum malitiosè vexare fratres

*Epist. 122.
Ut protegant
neophytos.*

*Vide epist.
seq.*

*Epist. 122.
Dantur confer-
vatores fratri-
bus militia
Christi.*

*Vide supra
epist. 121.*

*Epist. 120.
De institutio-
ne novi episco-
patus in Livonia.
V. de infra epist.
124. 127. &
lib. 14. epist.
349.*